Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31632
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Et eduxit israel de medio eorum. Q.
In manu valida et brachio extento. Q.
Qui divisit mare rubrum in divisiones. Q.
Et transduxit israel in medio eius. Q.
Et excussit pharaonem et exercitum eius in mare. Q.
Qui perduxit populum suum per desertum. Q.
Qui percussit reges magnos. Q.
Et occidit reges potentes. Q.
Sehon regem amorreorum. Q.
Et og regem basan. Q.
Et dedit terram eorum hereditatem. Q.
Hereditatem israel servo suo. Q.
Quia in humilitate nostra memor fuit nostri. Q.
Et redemit nos de tribulationibus nostris. Q.
Qui dat panem omni carni. Q.
Confitemini deo celorum. Quoniam in eternum.

Canticum. c. xxxv.

SUPER flumina babylonis. ibi sedimus et flevimus. cum recordaremur syon. Super salices in medio eius. suspendimus cytharas nostras. Quoniam ibi interrogabant nos qui captivos duxerunt nos. verba carminum. et qui abducebant nos hymnum. Canite nobis de canticis syon. Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena. Si oblitus fuero tui hierusalem. in oblivione detur dextera mea. Adhereat lingua mea guttur meum. si non memor fuero tui. si non proposuero hierusalem in principio letitiae meae. Memento domine filiorum edom. in die hierusalem. Qui dicebant exinanite exinanite usque ad fundamentum eius. Filia babylonis vastata. beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit et adlidet parvulos tuos ad petram.

Canticum. c. xxxvii.

CONFITEBOR tibi domine in toto corde meo. in conspectu deorum cantabo tibi. Adorabo in templo sanctum tuum. et confitebor nomini tuo. super misericordia tua et veritate tua. quoniam magnificasti super omne nomen eloquium tuum. In die in quo invocabam te exaudisti me. dilatabis animam meam in fortitudine. Confitebuntur tibi domine omnes reges terrae. quoniam audierunt eloquia oris tui. Et cantent in viis domini. quoniam magna gloria domini. Quoniam excelsus dominus et humile respicit. et excelsa de longe cognoscit. Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me. super furorem inimicorum meorum extendisti manum tuam. et salvabit me dextera tua. Dominus operabitur pro me. domine misericordia tua in eternum. opera manuum tuarum ne despicias.

Domine victoria dd. Canticum. c. xxxviii.

Investigasti me et cogno